



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 125. Brederodius copias conscribere jussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.
A.C. 1566. ipsa vero Gubernatrix promulgabat edictum, quo severas contumacibus pœnas irrogabat, hujusque legis exemplar ad Regem mittens scribebat, illam a se ea ratione conceptam, eoquod hæreticorum ausus plane detestandi hanc severitatem deposcerent: de cetero significabat, eos, qui adfuissent in secretiori Senatu, consensisse omnes præter Egmontium Comitem, qui edictum illud concitandis ad arma Belgarum populis, clasticum haud dubie futurum affirmasset.

§. CXXV.

Brederodius copias conscribere jussus.

Strad. l. 5. Enimvero ea, quæ Egmontius prædixerat, revera contingebant; quippe armorum consilia ubique fervebant, eoque ex tempore frequentior erat ad eorum conciliabula concursus, magisque sollicitè, ac circumspècte conventus habebantur: tandem etiam, si Gubernatrix vim adhibere meditaretur, arma palam capessere, militesque ex Palatinatu, præcipue vero eos, quos Palatinus offerebat, conscribere decretum est. Hujus rei cura Henrico Brederodo commissum, oblataque ei fuerunt nomina Antverpiensium mercatorum tantæ pecuniæ summam pollicentium, quanta contrahendis militibus satis foret:

ret: Brederodus igitur nihil cunctatus, ^{Sæcul. XVI.} qui has pecunias exigent, nominat, ^{A.C. 1566.} & Philippum Marnixium a sancta Aldegunde quæstorem creat. Dein cum Augusto Saxonum Duce agendi munus in se suscepit Ludovicus Nassavius: cum vero ob bellum, quod in hoc Ducatu fervebat, prompti auxilii exigua Fœderatis spes superesset, hinc illi Bredam Oranii Principis urbem convenire cogebantur, ubi tria hæc potissimum fuere decreta. I. Egmontius Comes transmissis ad eum literis ad fœderatorum partes pertrahatur. II. Novo libello rerum gestarum ratio Gubernatrici reddatur. III, Interea tamen ea, qua possent, celeritate milites ex ipsis Belgarum Provinciis contrahantur.

§. CXXVI.

Fœderatorum libellus ad Gubernatricem missus.

Hoc decretum ut effectui darent O-^{Strad. &} ranius Princeps, Hochstratus Co-^{Inu. l. c.} mes, & Brederodus communi nomine epistolam ad Egmontium Comitem dedere, orantes, ut fœderi nomen suum adderet: hac enim nova conspiratione sociati pollicebantur, effecturos se, ut hæreticorum conciones toto Belgio conticescerent, quo facto, aut Regi oc-
casio-